



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Joannis Pierii Valeriani Bellunensis Hieroglyphica, Sive De Sacris Ægyptiorum Aliarumque Gentium Literis, Commentariorum Libri LVIII

Valeriano, Pierio

[Lipsiae] ; Francofurti Ad Moenum, 1678

Fuca. Rei domesticæ studiosus.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14259

A reliquias Mullus, atque ubi ille luto excitato abierit (fodere enim potest) Mullus descendit & pascitur. Nascitur Sargus in Ægyptio mari fere, unde Lucilius:

Quem præclarus Elops, quem Ægypto Sargus movebit.

Sedenim Brundisium maxime commendat Ennius.

DE PASTINACA.

PARRICIDÆ SUPPLICIUM. CAP. XVI.

Um qui parricidii poenas dederit, significare si vellent Ægyptii, piscatorium hamum Pastinacam piscem attrahentem pingebant: ea siquidem venatu detenta, spina quam in cauda gestat, in raptorem ejaculatur, ictu maxime lethali, nisi coagulo Leporis, vel Hædi, Agni drachmæ pondere ex vino, succurratur, quod & hujusmodi, & aliorum marinorum ictibus præsentaneo est remedio. Hoc vero *ἰπιδεργον* dictum ea de causa opportunum fuerit, quod cujuscumque incommodi remedia, passa sunt, ut vulgus ait, palma ubique proferenda. Est vero Pastinaca, quem Græci *ρευζόβα* vocant. Eam aculeo vim inesse tradit Ælianus, ut si quis eo frondentem arborem pupugerit, haut ita multo post folia omnia decidant, arborque velut magnis solis ardoribus exsiccata prorsus exarescat.

Plin. id. l. 9.

c. 48 & c. 42

Extant alla

remedia a-

na d. Mat-

tholum in

Dioscori-

dem lib. 6.

c. 45

DE NEBRIADE.

VORACITAS INSATIABILIS. CAP. XVII.

Hominem cibum immodice sumptum evomentem, ac nihilo secius insatiabiliter mox crapulantem significaturi, marinam Mustelam pingebant, quæ Nebrias est nonnullis: ea enim ore, ut Ægyptius interpres Horus ait, parit, innatansque mox quæ pepererat convenatur, atque depascitur. Sepias itidem ac lolligines ore parere sunt qui velint, id redarguit Aristoteles, partus foveri ore dicens, & emitti, propterea que putari eas ore parere.

DE FUCA.

VORACITAS INSATIABILIS. CAP. XVIII.

Domesticæ rei studiosum hominem qui significarent, Fucam pisciculum, his similem quas vulgo Tincas appellamus, sed colore subviridi, pingebant: ea enim sola ex marinis piscibus nidum sibi construit, & in fragula parit.

DE RAI A.

CAPTATOR. CAP. XIX.

Captatorem hominem notare si vellent, Rajam pingebant: gestat enim illa ante oculos suos gemina fila, in capilli speciem, extrema quorum rotundis quibusdam præpilantur quasi escæ causa adlitis his ea, ubi locis arenosis aut sæculentis obturbato solo se absconderit, piscatur, attollens fila illa sibi præpendentia. Dum enim pisciculi occurrunt, & capita machinamenti pensilis pulsant, ipsa sensim fila subducens eos allicit, donec ad os admoveat, atque ita repente corripiat. Sepia quoque hoc eodem utitur machinamento, in Cancris alliciendis, quorum avidissima est.

DE SCOLOPENDRA.

ANIMUS A VITIIS DEPURGATUS. CAP. XX.

Hominem qui animum suum a vitiis affectibusve cruciabilibus depurget, quæque se lædant, excimat & expellat, significare si vellent, Scolopendram effigiabant: eam nonnulli Centipedam vocant, sive marina.